

Sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Cristophori Orsics ab Orsics-Vara, Equitis Aurati, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Camerarij, Consiliarij et Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, Reverendissimus Dominus Joannes Kukuljevics, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Canonicus, Protonotarius Apostolicus, Praepositus Infulatus B. V. M. de Szimegh ac Praefectus Metlicensis, Dominus Regni Prothonotarius ac Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarius Petrus Skerlecz de Lomnicza, Dominus Supremus Regni Exactor Nicolaus Skerlecz de Lomnicza, altefatae Majestatis Suae Sacratissimae Consiliarius, Dominus Consiliarius et Officij Supremi Comitis Comitatus Crisiensis Administrator Antonius Bedekovics, Dominus Ordinarius Vice-Comes Comitatus Varasdinensis Georgius Petkovics, Dominus Michael Mallenics Comitatus Zagrabiensis Substitutus Vice-Comes, Dominus Judex Civitatis Varasdinensis, quibus pro Actuario adjungitur Dominus Sigismundus Komaromij; relationem ejusmodi operis in publico facturi.

(Caeteris exmissis.)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1762. MENSE FEBRUARIO. VARASDINI.

Articulus Generalis, A. 1762. 22. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatum Commaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 22. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Anno 1762, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

Articulus Primus.

De 10000000 ad fidem publicam mutuo levandis.

Magna fidelium animorum cum consolatione perceperunt Domini Status et Ordines ex Benigno Suae Majestatis Sacratissimae Rescripto, sub dato 28. Mensis Januarij Anni labentis, singulari benignitatis Caesareo-Regiae cum te-
stificatione ad se emanato, maternum illum Augustissimae Dominae suae erga